

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 0976
	0974
	0980
	0970
403	
<p>fumosis resident cavernis et tabernaculis. De quibus Job. 39. dicitur: Tabernacula eorum in terra salsuginis.</p> <p>In hos miseros bestiales homines effudit ipse Machometus maledictus primo venena suae pestiferae doctrinae eosque ad se inclinavit et inde cum eis gladiis, hastis et arcubus caete- ras gentes ad se vi duxit et ita mundum pervertit adjutorio illorum miserrimorum, sicut Romulus et Remus attractis ad suam sequelam latronibus, fugitivis, pastoribus pecorum et ignobili populo et confuso Latinorum regno suum regnum san- guine innocentum Romulus imbuit.</p> <p>Incipit deserti peregrinatio et de triplici via solitudinis, sicut haberi potest ex textu Bibliae, et de via beatae Virginis cum puero Jesu in Aegyptum.</p> <p>Evagatio per vastissimam solitudinem facilis nunc descri- benda erit, praecognitis asinis et asinariis, camelis et came- lariis, solitudine et Arabibus, deserti incolis. Pro majori tamen intellectu notandum, quod ex Scriptura sacra triplex reperitur deserti via. Alia est enim via, per quam filii Israel de monte Synai venerunt in terram sanctam. Alia, per quam Abraham descendit per desertum in Aegyptum et Jacob et filii ejus, quando fuerunt vocati ad Joseph, et eadem via cre- ditur descendisse Joseph cum sponsa sua, beatissima Virgine Maria et puero Jesu, in fuga Herodis, Matthei II. Alia, per quam Propheta Helias et Hlizeus ingressi sunt per desertum ad montem Synai, non quidem simul, sed successive ut habetur 3. Reg. XIX.</p> <p>Fili quidem Israel fuerunt ducti (b) de Aegypto non directe per viam, quae dirigit ad terram sanctam, sed per viam maris rubri adscenderunt ad montem Synai, sicut jus- serat Dominus, nec a monte Synai via propinquiori fuerunt ducti, sed longe per desertum longum ducti et reducti et circumducti, quoisque finirentur XL anni. Causa autem, quare non propinquiori via per Palaestinam Aegypto conterminam fuerint inducti, ponitur Exodi XIII. Palaestina enim habuit civitates magnas, plenas gigantibus. Quos si filii Israel in primo aggressu vidissent, reversi in Aegyptum fuissent propter</p>	0985
	0965
	1025
	0925
	1075
	0875
	0475
	Ende
	Anfang